Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1303
Quelle:
Copyright:

ab eodem, qui infra nominabitur.

II. *fol.* 6. *Contemplationibus deuotissimis dolorum beatissime marie virginis quos habuit tempore passionis filij sui domini nostri.* Sunt numero XLII. quarum prima incipit: *Lazaro resuscitato vt habetur Joh. XI. Quidam iudei retulerunt miraculum ipsum scribis et phariseis* &c. Finiunt cum Ascensione Domini, unde ad calcem: *De missione spiritus sancti vide actus apostolorum.* Suspicor, pertinere ad eundem Autorem.

III. *fol.* 51. *De Rosario beatissime marie.* Praenotatur: *Sequentium determinacio quodlibetalis facta Colonie in scolis arcium Anno a christi natali millesimo quadringentesimo septuagesimo secundo, per fratrem michaelem francisci conuentus insulensis ordinis predicatorum Sacre Theologie professorem tunc temporis in Conuentu Coloniensi prefati ordinis regentem.* Initium est: *Primum quodlibetum. Cum dauid dicat, particeps ego sum omnium timentium te* &c. Sunt *Quodlibeta*, uti tunc in Academiis adpellabantur, numero XVI. Illa excipit

IV. *fol.* 81. *Tractatus pulcherrimus de partibus integralibus seu materialibus rosary virginis gloriose videlicet Simbolo, salutacione angelica, Oracione dominica et Antiphona Salue Regina. Et primo quare premittitur Simbolum apostolorum* &c. Nititur Autor reconciliare hujus precandi Formulae criminatores, qui videntur malle rudem et meditationis incapacem plebeculam abstinere ab orando Deo, quam easdem formulas repetere, immemores exempli τȣ Θεανθρωπȣ, qui *oravit tertio eundem sermonem dicens. Matth.* 26. De *Antiphona* memorata nihil habetur in *Codice*; Titulus tamen ostendit non omnino errasse *Simlerum* in *Bibl. Gesn.* quamvis *Echardus* in *Scriptt. Ord.* T. II. p. 8. nihil de Expositione hujus *Antiphonae* a *Michaele* adornata compererit. Fuit *Michael Francisci* patria *Insulensis Flander*, sodalitio *Dominicanus*, a *Maximiliano* I. Imp. formandae *Philippi* filii adolescentiae adhibitus, et deinceps Episcopi *Salubriensis* titulo condecoratus, ut pluribus videre est apud *Echard. cit.* item in *Biblioth. Belgica Foppenii*, et *Coloniensi Harzhemii.* Ejus *Quodlibeta* supra adducta lucem videre *Bonon.* 1500. An vero etiam *Coloniae* 1476. et 1479? Id quidem de evulgatione intelligi malim, quam de typis. *Decisionis* ejus *de VII. Doloribus* editionem adscribam nemini hactenus memoratam. Prodiit illa in Oppido *Austriae Schrattenthal* hoc rubro: *Michaelis Francisci de Insulis Quodlibetica De cisio cum Officio et Missa de Doloribus seu Compassione beatissime virginis Marie.* 1501. 4.

CCCXXXV.

Codex chartaceus lat. Sec. 416
proxime lapsi Folior. 66. 4. inscribitur: *De Mysterio Immaculatae*